

conficere possemus: haud erat sane, quod quisquam rationem ac doctrinam requereret. Nunc parvulos nobis dedit igniculus, quos celeriter malis moribus opinionibusque depravati sic restinguimus, ut nusquam naturæ lumen appareat. Sunt enim ingeniis nostris semina innata virtutum; quæ si adolescere licaret, ipsa nos ad beatam vitam natura perduceret. Nunc autem, simul atque editi in lucem et suscepti sumus, in omni continuo pravitate et in summa opinionum perversitate versamur: ut pæne cum lacte nutricis errorem suxisse videamur. Quum vero parentibus reddit, dein magistris traditi sumus, tum ita variis imbuimur erroribus, ut vanitati veritas, et opinioni confirmatæ natura ipsa cedat.

Accedunt etiam poëtæ: qui quum magnam speciem doctrinæ sapientiaeque præ se tulerunt, audientur, leguntur, ediscuntur, et inhærescant penitus in mentibus. Quum vero accedit eodem, quasi maximus quidam magister, populus, atque omnis undique ad vitia consentiens multitudo; tum plane inficiuntur opinionum pravitate, a naturaque desciscimus: ut nobis optimam magistram invidisse videantur, qui nihil melius homini, nihil magis expetendum, nihil præstantius honoribus, imperiis, populari gloria judicaverunt. Ad quam fertur optimus quisque, veramque illam honestatem expetens, quam unam natura maxime inquirit, in summa inanitate versatur, consecteturque nullam eminentem effigiem, sed adumbratam imaginem gloriae. Est enim gloria, solida quædam res et expressa, non adumbrata. Ea est consentiens laus bonorum, incorrupta vox bene judicantium de excellente virtute. Ea virtuti resonat, tamquam imago. Quæ quia recte factorum plerumque comes est, non est bonis viris repudianda. Illa autem, quæ se ejus imitatrixem esse vult, temeraria atque inconsiderata, et plerumque peccatorum vitiorumque laudatrix, fama popularis simulatione honestatis formam ejus pulchritudinemque corrupit. Qua cæcitate homines, quum quædam etiam præclara cuperent, eaque nescirent nec ubi,